

Georg Mejer Henricus Neovinus


## **Disputatio XI. Collegii Metaphysici : De Necessitate Et Contingentia**

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729123103>

Druck Freier  Zugang






57

R. U. phil. 1609. 10.

12 gfl.

35 1717





DISPUTATIO XI.  
COLLEGII METAPHYSICI  
DE  
NECESSITATE  
ET CONTINGENTIA

Quam  
AUSPICE CHRISTO  
*In alma Rosarum Academia*

PRÆSIDE  
M. GEORGIO MEIERO  
Duderstad. Sax.

*Defendendam suscipiet*  
HENRICUS NEOVINUS  
Suerinentis Mag. p.

*Ad diem 6. Octobr. horis pomeridianis.*

---

ROSTOCHII  
Ex Typographia Stephani Myliandri  
Anno cl<sup>o</sup> 1<sup>o</sup> CX.





## DE NECESSITATE ET CONTINGENTIA.

### Theorema I.

Datur in rebus creatis necessitas.

**V**omne Ens est vel causa, vel causatum: Sic omne est vel necessarium vel contingens. Doctrina itaq; causarum, necessitatis & contingentia considerationem rectè subjicimus, præsertim cum hæc ex illa, aut cum illa, nata videatur.

II. Nullam vero in rebus creatis reperiri necessitatem, qui autumant, hæc potissimum nituntur ratione, quod omnis res creata ab alio dependeat, & suum esse habeat, nempe à DEO. Jam vero quicquid ab alio dependet, (inquiunt) illud omne contingens est, cum & esse, & non esse potuerit.

III. Verum sententiam hæc ut absurdam reiçimus. Non enim omnis necessitas rebus creatis deneganda est. Datur in quibusdam contingentia, in quibusdam necessitas: Nam non omne Ens est necessarium; neq; omne contingens: sed quoddam necessarium; quoddam contingens.

IV. Argumentum contrarium quod attinet, probat illud non omnes res creatas necessario à DEO productas esse, quod libenter concedimus, quia Deus est agens liberrimum, & libere omnia ex nihilo creavit: & si vult, omnia vicissim in nihilum redigere potest. Sed propterea negari non debet, res creatas iam productas in se omnis necessitatis expertes esse, licet non talis



in ijs reperiatur, qualis in Deo, absolutissima videlicet & independens. Reperitur quoque veritas, bonitas, in rebus creatis non eo modo, quo in Deo, sed quis inde inferret: Ergo Ens creatum non est verum: non est bonum?

Theorema I I.

Latet ambiguitas in voce necessarij.

Necessarium enim aliud est complexum, aliud incomplexum. Illud in propositionibus consistit necessarijs: hoc in terminis simplicibus: Et est vel independens, vel dependens. Necessarium independens solus Deus est: dependens verò Ens creatum necessarium. Ens dependens necessarium dicitur vel absolute, vel ex hypothesi tale. Absolute necessarium est, quod à causis suis, vel efficientibus, vel materijs, vel formis, vel sine dependet. A causa efficiente oritur necessitas naturalis, quâ agens naturale eodem modo semper agit, & nunquam nisi impeditum à præscripto ordine recedit. A materia ea oritur necessitas, quâ materia conditionis insequitur, ut est quantitas & figura. A forma qua fluit necessitas est, quando res certam obtinet formam, à qua propria fluit operatio. Sic necessitate forma, visibilitas homini necessaria est: quia hac ab illa proficiscitur. A fine duplex pendet necessitas: una ex suppositione finis, qua veluti concausa est rei. Sic omni animali necessaria est nutritio, ut vivere possit: altera expedientia dicitur necessitas, quando aliquid requiritur, sine quo finem haud facile assequi possumus. Sic fluvium qui vult transire, opus habebit ponte: Et vado quidem transire poterit, sed difficulter. Ex hypothesi necessarium est, quod in se quidem necessarium non est: præmissis tamen alijs quibusdam, non potest non esse. Est autem triplex conditio, qua hanc necessitatem efficit, ut testis est Philippus lib. 2. Dial. Prima est decretum Dei. Sic necessario futura est resurrectio mortuorum, quia Deus de ea decretum fecit. Altera est causarum necessaria suppo-

suppositio, qua non mutantur, cum mutari potuissent. Sic necessario fiunt scandala, quia magna hominum est malitia. Tertia est contradictionis evitatio. Sic omnia cum fiunt, ideo tunc sunt necessaria, quia contradictoria non possunt simul esse vera, ut cum Plato sedet, contradictoria falsa est: Plato non sedet. Omne enim quod est, quando est, necessum est esse.

### Theorema III.

Necessarium est, quod aliter se habere nequit. Arist. lib. 5. Met. c. 5.

Enumeravimus hactenus varias necessitatis gradus & modos, quibus omnibus communem quandam rationem adscribimus, ad quam si non ex aequo, aliquo saltem modo revocari possunt. Hunc processum etiam servavit Philosophus in explicatione necessarij. Το μὴ ἐνδεχόμενον (inquit) ἄλλω, ἔχει ἀναγκαιὸν Φαίδω. Et subjungit: καὶ καὶ τὸ τοῦ ἀναγκαιῶν, καὶ τὰ ἀναγκαῖα πῶς ἀπαντῶν ἀναγκαῖα. Eodem modo & nos fateri necessum habemus, quod modi necessitatis à nobis enumerati consentiant in communi quadam necessitatis ratione, qua est, quod aliter se habere non possint, ad quam tamen ex aequo referri non possunt. Sic summum gradum occupat necessitas independens: infimum necessitas ex hypothesi.

### Theorema IV.

Non omnia in natura necessario fiunt.

I. Etenim cum multa fiunt, qua aliter se habere possunt, quae est, omnia necessario fieri, qui jure affirmare possit? fieri vero quotidie ferme talia, nemo negabit, nisi is, qui rerum omnium imperitus est & ignarus. Praeterea casu sive fortunâ in natura multa accidere itidem manifestum est. Ubi autem fortuna & casus: ibi necessitas nulla, cum hujus definita sit causa: illorum

non item. Tandem in confesso est apud omnes, quorum de luto  
meliori publicus ille Rector finxit praeordia, hominem liberè in  
rebus externis & civilibus agere. Libera autem actio non est  
necessaria actio, ideoque non omnia necessariò in natura fiunt.

II. Sed non tantùm Stoici olim, sed adhuc hodieque multi ab-  
surdam illam, tam cum ratione, quam sensu pugnantem opinio-  
nem, quã statuitur, omnia necessariò fieri, amplectuntur. Sto-  
lilitatem autem, quae meritiò ijs obijcitur, hoc modo à se propul-  
sare conantur. 1. Quod causa secunda nihil agere queat sine  
prima: Causam autem primam necessariò agere ajunt, quare  
etiam sequi, secundam necessariò agere. 2. Quod omnia divi-  
nae praescientia subjaceant, quae ob summam necessitatem falli ne-  
queat. Si itaque Dei praescientia, inferunt, est necessaria, & ali-  
ter se habere non potest, sequitur quoque, omnia in mundo necessa-  
riò fieri.

III. Argumenta haec prima fronte aliquid ponderis habere  
videntur, sed si inirespiciantur penitiùs, nihil habebunt. Ut  
enim ad primum respondeamus, non ita causa secunda pendet à  
prima, ut violenter ab ea trahatur ad hoc vel illud agendum,  
tanquam instrumentum à manu artificis, aliàs enim nulla ope-  
ratio propriè adscribi posset causa secunda: quemadmodum si  
quis ferro aliquem interimat, homicidium non propriè ferro, sed  
homini ferro utenti meritiò adscribitur. Tali vero modo cau-  
sam secundam à prima regi qui statuit, vehementer errat, & in-  
ipsum Deum impius est, & blasphemus. Pendent quidem causa  
secunda à causa prima, Deo nempe: sed permittit Deus, ut pro-  
prias quoque, exercent motus. Deinde falsum quoque est causam  
primam necessariò agere. Non agit necessariò, sed liberè, quia  
liberrimum agens est Deus. Est quidem Deus in se & ratio-  
ne essentia sua Ens absolutè necessarium, sed non necessariò  
omnia agit, quia mundum liberè condidit, potuisset enim eum  
non condere. Ad secundum respondemus, praescientiam divinam  
rebus

rebus nullam importare necessitatem: prout enim res futurae sunt, ita eas quoque praevidet Deus, non secus ac Astrologus praevidet eclipsin futuram, ob cuius tamen praevisionem Eclipsis minime oritur.

### Theorema V.

Vox contingentis non minori ambiguitate laborat, quam vox necessarii.

Dicitur enim contingens aliud complexum, consistens in propositione: aliud incomplexum, quod dividitur in contingens in universali, & contingens in particulari. Illud est ipsa contingentia rei universim accepta, quatenus necessitati itidem universaliter sumpta opponitur: hoc contingentia rei speciatim accepta. Atque hac contingentia cernitur in ijs, quae vel plerumque ita evenire solent, ut quando homo generat hominem decem digitis: vel raro, ut quando homo nascitur biceps: vel denique in ijs, quae à libertate voluntatis humana dependent, ut quando homo ambulat, cum etiam non ambulare posset: in libertate enim hominis positum est & ambulare, & non ambulare.

### Theorema VI.

Contingens est, quod aliter se habere potest.

Contingens nonnunquam est, quod sequitur ad necessarium. Quod enim necessarium est, id ipsum quoque contingit esse, quomodo enim non contingeret esse, quod ut sit necessum est? Vide Philosoph. lib. 1. analyt. prior. c. 3. De hoc vero contingenti impraesentia nil praecipitur: sed tantum de eo, quod necessario opponitur, ac id esse dicitur, quod aliter se habere potest. Ut enim pulcherrimus esset rerum ordo, necessaria contingentibus natura miscuit.

Theo.

Theorema VII.

Homo in externis & civilibus actionibus libertatem habet agendi.

I. Nonnulli eò vesania progressi sunt, ut homini planè omnem agendi libertatem, tam in rebus naturalibus, quam spiritalibus adimerent. Et mirandum est, tantam posse in hominem cadere cæcitatem, ut ea etiam qua oculis quotidie obversantur, in dubium varare audeat. Multa enim contingenter fieri in vita humana, quis sanus inspicere potest? Fatemur quidem ingenuè, hominè in spiritalibus nullum relictum esse arbitrium liberum, quemadmodum sacra docent pagina, id enim primi parentes nostri per lapsum amiserunt: In externis vero adhuc sibi habet concessum homo liberum arbitrium. Est enim homo ratione præditus, à qua actio libera, tanquam effectus à causa sua, proficiscitur. Quicquid itaq; ratione est præditum, liberè agit. Cadit præterea in hominem *περὶ αἰσθητικῆς καὶ βέλους*. Hæc autem ubi locum habent, ibi agendi est libertas, quia actio si non esset libera, consultatione non esset opus. Præterea habet homo sese ex æquo ad utramq; contradictionis partem: potest enim agere, vel actionum suspendere; sedere, vel non sedere; ambulare, vel non ambulare pro libitu. Quid, si homo non haberet libertatem agendi, frustranea essent omnes adhortationes ad bonum, omnes dehortationes à malo; frustra leges præscriberentur, secundum quas esset vivendum; frustra boni laudarentur, & mali vituperarentur.

II. Idem Philosophus quoq; quatuor rationibus probat lib. 3. Ethic. c. 5. quarum prima hæc est: quia actionum probarum & improbarum causa est in homine, voluntas nempe. Altera, quia honestè agere in nobis situm est, ideoq; & contrarium, videlicet non agere, vel turpe quicquam agere in hominis potestate erit. Tertia, quia homo ipse suarum actionum est principium. Postre-

Postrema, quia propter quae legumlatores poenas vel praemia proponunt, adhortationes vel dehortationes instituunt, illa in hominis potestate esse oportet.

III. Et simul refutat argumenta eorum, qui hominem omnia fatali quadam necessitate agere dicitabant. Dicebant enim  
1. actiones improbas oriri ab habitu vitioso, qui propterea quod altas radices in animo hominis egisset, deponi non posset. 2. actiones vitiosas fieri per phantasiam, quae facultas sit naturalis, & ob id immutabilis, cum naturalia non mutantur.

IV. Nam ad primum respondet concedendo quidem, habitum vitiosum difficulter deponi posse: sed quia homo eundem crebris actionibus liberè comparavit, dicit hominem propterea causam esse actionum liberam, qua ab isto vitioso habitu proficiscuntur, id quod similitudinibus pariter illustrat. Ad alterum, similiter concedendo, phantasiam in homine absolutè & per se consideratam, esse facultatem naturalem: sed consideratam cum conjunctione boni vel mali, hoc est, prout bona, vel mala est, non esse prorsus naturalem, sed proficisci ab habitu bono vel malo, cujus habitus cum ipse homo sit causa, ut paulo superius dictum, etiam & bona & mala phantasias causam hominem esse, asserit Philosophus. Hac autem omnia de externis & civilibus actionibus accipienda sunt, quia actionum spiritualium cognitionem Aristoteles ut Ethnicus habuit nullam.

### Theorema VIII.

Non astra agunt in voluntatem hominis.

I. Posito uno absurdo, infinita alia sequi necessum est. Postquam enim alij hominem libertate agendi in externis actionibus spoliare conati sunt, in id absurdi inciderunt, ut statuerent, hominem ab astris regi, duci, trahi, quorum absurdam sententiam facili negotio profligabimus. Si enim astra agunt in voluntatem

B

tatem

tatem hominis, aut agunt cum ratione, aut sine ratione. Si cum ratione, necessum est ut sint animata ac intelligentia: Si sine ratione, qui quaso poterunt agere in id, quod ratione praeditum est, & voluntati humana dominari? Effectus certe nunquam toto genere est nobilior sua causa, & nihil agere valet supra vires suas. Et qua quaso est inter astra, & voluntatem hominis proportio? nonne inter agens & patiens certam intervenire oportet proportionem? Quis modus ostendi potest, quomodo videlicet astra in voluntatem hominis agant? nullum haecenus, qui huius sententia sunt patroni, ostendere potuerunt, quare opinio illorum futilis & vana merito censenda est. Ut taceamus quod si astra agerent in voluntatem hominis, actio illa vel violenta, vel naturalis esset. Si autem violenta, homo non esset sui juris: Si naturalis, sequeretur individuorum infinitorum ratione corporis finiti, multiplicari posse operationes, quod pugnat cum omni ratione.

II. Sed obijciunt 1. quod astra non sint frustra condita. 2. quod sint signa Gen. 1. 3. ad experientiam confugiunt, qua sapienter testata est, astra dominari voluntati ac ingenio hominis.

III. Verum salva res est. Non enim dicta argumenta probant id, quod probare debebant. Non sunt frustra à Deo astra condita, verum est. Sed quis sanus inde inferret: Ergo dominantur voluntati humanae? Habent suum usum & finem, id quod nemo inficiatur, sed probandum erat, dominium in homines, finem esse astrorum. Scriptura longè aliter docet. Similiter sunt signa astra. Sed ne illud statim agit in voluntatem hominis, quod signum est? Sic qui colligunt, capitis vertigine laborare videntur. Signa sunt annorum, temporum, & similibus. Experientia denique experientiam opponimus, qua sapientissime contrarium attestata fuit, & adhuc quotidie attestatur. Praeterea nondum probarunt, nec ullum verum exemplum in medium adduxe-

adduxerunt, qui huius sententia sunt patroni, quo ostenderent hominis voluntati astra dominata fuisse.

### Theorema IX.

Neque temperamentum in voluntatem hominis iuris quicquam habet.

I. Etenim cum actiones voluntatis sint libera, quomodo à temperamento dependere possunt, quod non est liberum, sed necessarium, & suo modo immutabile, quia naturale? Nunquam causa toto genere erit deterior suo effectu. Et misere miserè ageretur cum homine, si ipsius actiones omnes à temperamento dependere: Nam non esset sui iuris, sed natura & fortuna subjaceret injuria. Hinc Scaliger ad Cardanum, si mores à temperamento cum Galeno ducere conabere, facile objectionum multitudine obrueris, exer. 274.

II. Sed inquit, pro varietate tamen in hominibus temperamenti, videntur nonnulli esse iracundi, nonnulli intemperantes, alij audaces. Ipsa propensio siue inclinatio ad iracundiam, intemperantiã, audaciam, à temperamento quidem est: sed non ipsa est, qua crebris actionibus comparatur. Homo autem quia animal est ratione pradiatum, prava inclinationi resistat, neq; patiatur se caeco appetitu duci, quemadmodum brutum.

### Theorema X.

Res contingenter productæ non sunt necessariae dicendæ.

I. Causa enim contingentes, respectu unius ejusdemq; effectus, nunquam dicuntur necessariae, ideoq; nec effectus, qua à causis contingentibus producitur, necessarius dicendus est. E.g. Victoria Aenea, quâ superavit Turnum, non est necessaria dicenda, sed  
contin-



contingens, quia causa victoria fuere contingentes: potuit enim  
Aeneas non vincere Turnum.

II. Obijcis: Quodcumq; est immutabile, illud est necessarium,  
non contingens. Atqui res omnes contingenter productæ, non  
amplius sunt contingentes, sed immutabiles: quia factum quod  
est, infectum reddi nequit. Sic Aeneas Turnum contingenter  
quidem vicit, sed post victoriam, non contingens amplius est, sed  
necessarium, Aeneam Turnum vicisse, quia jam mutari non  
potest.

III. Verum laborat ambiguitate vocabulum immutabile.  
Bifariam enim aliquid immutabile dicitur, vel respectu causa-  
rum: vel respectu temporis. Non illo: sed hoc modo, res con-  
tingenter productæ immutabiles dicuntur. Est vero emminò de  
rebus tam necessarijs, quam contingentibus è causis judicandum,  
non tempore, nisi necessarium cum contingente confundere veis.

## COROLLARIA.

I.


An detur fatum Stoicum? N.

I I.

An detur fatum Astrologicum? N.


I I I.


An peccatum necessariò in mundum sit in-  
ductum? N.











306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.


### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, sed per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essentia, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document